



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Commentaria In Regvlas Cancellariæ Apostolicæ: Sive In
Glossemata Alphonsi Sotto, Glossatoris nuncupati**

Chokier, Jean de

Coloniae Agrippinae, 1674

Reg. LX. de Beneficiis vacantibus & certo modo vacaturis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62377](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62377)

COMMENTARIA. JO. A CHOKIER.

A **D**E quadragesis) Consule Navarrum tract. de Jubilæo & indulg. fusè hæc & dilucidè tractantem, hæc enim non attinent ad praxim beneficiariam, quò modo collineamus.

B: *Quid operentur Indulgentia*) Vide Felij in tract. sive sermo. de Indulgentia plenaria Navar. Tolet. & novissimè D. Iq. Franciscum Leonis Episcopum Tclesinum in suo tract. fori Ecclesiast. par. 1. c. 7 per tot. 4

Argumenta in Regul. Ix. INNOCENTII VIII.

- | | |
|---|---|
| <p>1. Quæ Valis fuit petitiõ talis debet esse refponõ.</p> <p>2. Intellectus clausulæ ultra lx. in portatõ.</p> <p>3. Valor beneficij non computatur in residendo sed in absentia.</p> | <p>4. Hæc Regula non est de dandis.</p> <p>5. Incongruum esset computare valorem beneficij secundum varietatem regionum & cambiorum.</p> <p>6. Anniversaria an compulentur in valore beneficij.</p> |
|---|---|

Regula Ix. INNOCENTII VIII.

DE BENEFICIIS VACANTIBVS ET CERTO MODO VACATVRIS.

Item voluit & ordinavit, quod in gratis beneficalibus de vacantibus, aut certo modo vacaturis, factis quibuslibet, si plura petentur beneficia, unum cuiuscumque valoris annui per simplicem signaturam, & addita ut petitur duo aut tria & non ultra, petita beneficia veniant, dummodo illorum fructus &c. ultra lx. in portatis, vel etiam librarum Turonen parvorum communi æstimatione, sive tantundem in illa moneta non valeant annuatim.

GLOSSEMA ALPHONSI.

Ista Regula dicit, quod si petantur multa beneficia in supplicatione vacantis, vel certo modo vacatura, scilicet per promotionem alicujus &c: tunc si Papa signat hoc modo, scilicet fiat, tunc venit unum beneficium cujuscumq; valoris; sed si signet sic, scilicet fiat ut petitur, tunc duo, aut tria beneficia, & non ultra veniunt, dummodo illorum fructus lx. flor. in absentia vel centum non valeant secundum communem estimationem h. d. & ratio dubitandi fuit, quia si multa beneficia petantur in supplicatione tunc si Papa dicit fiat, videtur concedere omnia petita arg. c. inter dilectos, cum gl. de fid. ultro, quia qualis fuit petitio, talis presumitur responsio l. x. § si quis ita interrogetur, de verb. oblig. Tamen Papa vult restringere deceptiones curialium & cupiditates, & illud quod dicitur de valore portatis lx. vel centum &c: intelligi potest duobus modis; uno modo referendo singula singulis, scilicet per fiat lx. & per fiat ut petitur centum, facit gl. de relatione singulorum ad singula in c. si quis pecunia lxxix dist. vel potest intelligi quod ista clausula referatur ad proxima, scilicet quando dantur duo vel tria per fiat ut petitur, quod patet ibi illorum &c: & sic relatio fit in plurali, & non debet intelligi de uno tantum, & hoc patet, quia unum intelligitur cujuscumq; valoris: & tunc debet intelligi de lx. in portatis, sed de centum residendo, sed certe primum posset salvari, quia valor beneficij non computatur in residendo, sed in absentia, ut vult in simili Old. conf. cxviii. quod incip. Ex virtute gratia & facit gl. & quod ibi dicunt Doct. in c. i. de cler. non resid. lib. vi. & dec. Rotæ cxxxiii. quæ incip. Item quando impetratur certum beneficium, & facit gl. & Doct. in c. licet de præb. & credo quod hoc præcise Cancellaria: Camera tamen daret indistincte omnia petita: & male; tamen sic solet fieri, quia exprimitur valor omnium &c: Et ista regula non est danda: quia concernit expectationem litterarum, & non habet decretum irritans.

COMMENTARIA JO. A CHOKIER.

B Sed in absentia. Sic tamen ut colligebatur seu cambij ratio haberi non debet, quia incongruum esset ut dixerunt Domini de rota secundum varietatem cambiorum valorem beneficij in absentia supputare, Achilles de Grassis decisi. 401. alias 1 super Reg. de valore. Animadvertite quoque anniverfaria quæ multis locis ad bonam præbendæ summam ascendunt, non etiam computari in valore beneficiorum, cum illa distributionibus quotidianis æquiparentur, Gemina. in cap. consuetudinem §. de distributionibus de cleric. non resident. in 6. & licet apud plerisque defumantur ex massa præbendæ, non eò magis delinunt esse anniverfaria, aut diverso jure centeri debent à distributionibus, cum illa

illa dentur ratione obsequij & personalis ministerii, puta interessentibus divinis, & pro mortuis suffragia præstantibus, ideoq; non sunt de corpore beneficii, nec sub illius valore comprehenduntur, Rota decisio. 134. in novissim. Felii in carp. ad aures numero 14. de rescript. DD. in cap. licet de præben d.

Argumenta in Regul. lxi. Innocentij VIII.

1. Vre non cavetur ut impetrans teneatur facere mentionem valoris beneficii obtenti.
2. Conditor istius Reg. fuit Urbanus VI.
3. Intellectus clausulæ: per marchas argenti aut sterlingorum.
4. Regula hæc inventa est propter annatas, nec taciturnitate valoris illæ defraudarentur.
5. Valor beneficii obtinendi intelligitur exceptis distributionibus quotidianis.
6. Beneficium quod datur in stipendium potest clericus conjugatus retinere.
7. Intellectus clausulæ, iuxta ipsarum obligationes.
8. Verbum tunc denotat tempus datæ impetrationis.
9. Impetrans beneficium curatum, an non jam obtenti valorem exprimere debeat.
10. An hæc Regula sit de dandis.
11. Pensionis an sit faciendæ mentio in impetrationibus benefic. & nu. 10.
12. Conditor hujus Regul. quis fuerit ex opinione Gomefij.
13. Urbanus VI. quatuor edidit Reg. de valore.
14. Gratia motus proprii non includitur sub Reg. de valore.
15. Hac Reg. non habet locum in Ordinariis.
16. Valor distinctè probandus est, & non in confuso.
17. In gratia motu proprio concessa, juxta Regulas antiquas, non erat necessaria expressio valoris beneficii obtenti, nec ob omissionem dabatur vacatio: secus jure novissimo, & secundum Regul. modernas.
18. Lite orta inter provisorium Apostolicè, & à Nuncio, utri incumbat onus probandi valorem.
19. Nuncius vigore suæ facultatis, potest conferre beneficia iurispatronatus Ecclesiastici non excedentia valorem. 24. Ducat. Imò & iurispatronatus laicorum ex eorum negligentia devoluta.
20. Ratio cur hæc Reg. sit condita.
21. Hodie ex generali consuetudine omnia beneficia rescribuntur ad XXIII. ducat.
22. Clausulæ tollentes necessitatem exprimendi valorem.
23. Quid si falsus valor, sed major sit expressus.
24. Beneficium censetur vacare per obitum resignantis, ubi in resignatione non est expressus verus valor, si tunc illius resignatarius inhabilis.